

dine, in quibusvis functionibus, concessibus aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti libere et licite possint et valeant de apostolica auctoritatis plenitudine tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Die 5. Octbr. 1752.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. pag. 21. Ed. Romae 1758.)

*Benedictus PP. XIV. Episcopo Quinquecclesiensi.*

Georgio Episcopo, ut ipse et ejus Successores Ecclesiae Quinquecclesiensis Praesules pro tempore existentes, de caetero perpetuis futuris temporibus sacrum Pallium in solemnitatibus et functionibus in Pontificali Romano descriptis induere et gestare ac etiam *Crucem ad instar Archiepiscoporum ad se elevari et gestari facere in dicta Quinquecclesiensi civitate et dioecesi dumtaxat*, et non alibi omnino sive in alienis dioecesibus sive in praedicti Hungarici regni comitiis sive in quibusvis aliis locis Episcopo praefato non subjectis, etiamsi Ordinariorum locorum licentia ad id accederet, nec etiam in dicta civitate et dioecesi Quinquecclesiensi in praesentia alicujus ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus vel Nostri et ejusdem Sedis Apostolicae ordinarii vel extraordinarii Legati seu Nuncii vel Archiepiscopi Strigoniensis, nisi de eorum respective consensu, sub gratiae et concessionis hujusmodi nullitate, et dummodo *quoad Pallium* praedictum tam ipse Georgius quam illius Successores Quinquecclesienses Episcopi pro tempore futuri, illud ab eadem Apostolica Sede, servatis de jure vel consuetudine servandis, postulare et, consueto fidelitatis debitae juramento edito, accipere, aliaque in similibus observari solita adimplere teneantur, nec ante acceptum

Pallium erectae Crucis gestationem sibi licitam esse noverint, utque demum, salvo in omnibus jure Metropolitico Ecclesiae Strigoniensis illiusque Archiepiscopi pro tempore existentis, *et nihil immutato praecedentiae ordine inter ipsos Episcopos Quinquecclesienses aliosque Episcopos sive ejusdem sive alterius provinciae*, hactenus de jure, usu aut consuetudine, in quibusvis functionibus, concessibus aut comitiis servari solito, hujusmodi Pontificalis honoris insigniis uti libere et licite possint et valeant, de Apostolica auctoritatis plenitudine, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Die 1. Septbr. 1754.

(*Ibid.* p. 138.)

*Pius PP. VI.*

*V. Fr. Vinc. Labini Episcopo Melitensi.*

Cum alias Nos nuper archiepiscopalem Ecclesiam Rhodiensem, quae in partibus infidelium consistit, certo tunc expresso modo pastoris solatio destituta cathedrali Ecclesiae Melitensi, cui tunc praeraras, prout ad praesens praees, apostolica auctoritate perpetuo univerimus et incorporaverimus tibi-que ac pro tempore tibi in Ecclesia Melitensi praefata succedenti usum Pallii in solemnitatibus per sacros canones perscriptis celebrandis simili apostolica auctoritate concesserimus atque indulserimus, prout in literis apostolicis in forma Brevis sub annulo piscatoris die tertia mensis Martii proxime praeteriti desuper expeditis plenius continetur, ac postmodum Pallium ipsum insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii ex parte tua fuerit hodie a Nobis per dilectum filium Julium Carolum Aloisium Constantem Nostrae consistorialis aulae advocatum cum ea, qua decuit, reverentia postulatum, Nos supplica-

tionibus tuis annuentes Pallium ipsum de corpore beati Petri sumptum per dilectum etiam filium alterum, quem malueris, ex dignitates Ecclesiae Melitensis praefatae obtinentibus tibi assignandum, per dilectum pariter filium Joannem Baptistam Contini Presbyterum Anconitanae dioecesis Nuncium tuum duximus destinandum, ut ipse dignitatem obtinens illud tibi sub infra-scripta forma assignet, et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub alia etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiat juramentum.

Tu autem Pallio eodem sic intra dictam Ecclesiam tuam Melitensem juxta tamen formam in praefatis literis praescriptam dumtaxat uteris. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed, quod geris exterius, interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et justitiam dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem ac eandem Melitensem sponsam tuam cures sollicite auctore Domino spiritualiter et temporaliter augmentare. Quocirca ipsi dignitatem obtinenti per apostolica scripta mandamus, quatenus ipse dictum Pallium juxta eandem subsequentem formam tibi curet assignare, et a te Nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma hujusmodi fidelitatis debitae solitum recipiat juramentum, ejusque sic a te praestiti juramenti formam Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas per proprium nuncium quanto citius destinare procures.

*Forma autem, qua dignitatem obtinens in assignando tibi dicto Pallio utetur, haec est:* „Ad honorem omnipotentis Dei ac beatae Mariae Virginis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli

ac Domini nostri Pii PP. VI. et sanctae Romanae Ecclesiae necnon Ecclesiae Melitensis tibi commissae trado tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut eo utaris intra Ecclesiam tuam in praedictis solemnitatibus ac locis in supradictis literis praescriptis.“

*Forma autem juramenti, quod praestabis, talis est:* „Ego Vincentius Labini Episcopus Melitensis ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro sanctaeque apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino nostro Pio PP. VI. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in concilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nuncios seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem: Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione: Apostolorum limina singulis trienniis visitabo aut per me aut per meum nuncium, nisi apostolica absolver licentia; possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano Pontifice et constitutionem super prohibitionem investiturarum honorum jurisdictionalium de anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo quinto editam servabo. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia.“

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 24. Julii 1797.

(Bull. r. Continuatio t. X. p. 106.)



Quodsi dies, in quibus Archiep. utitur pallio, in privilegiis non reperiuntur expressi, recurrendum erit ad communem consuetudinem, quae est, ut eo utatur diebus infrascriptis, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis et Epiphaniae Domini, Dominica in ramis Palmarum, Feria quinta in Coena Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus Festis sequentibus, Dominica in Albis, Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistae, duodecim Apostolorum festivitibus, in festo Corporis Christi, quatuor festivitibus gloriosae Virginis, id est: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in festo omnium Sanctorum, in dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus festivitibus Ecclesiae Metropolitanae, in ordinationibus Clericorum, consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virginum, in diebus anniversariis dedicationis Ecclesiae principalis et consecrationis suae. Aliis autem diebus in privilegiis non expressis vel inter praedictos non comprehensis, Archiepiscopus, si voluerit in Pontificalibus celebrare, uti non debet pallio. *Caer. Ep. l. I. c. XVI. n. 4. Pontif. rom.*

#### VIII. Graecorum.

Vd.: t. II. p. 606.

IX. Jus non habet Episcopus pallio decoratus alios Episcopos praecedendi.

Vd.: *Pallium* (Episcop. concess., decr. Bened. XIV. ad Episcopos Herbipol. et Quinqueccles.).

X. Infra Missam tantum utendum.

Vd.: *Pallium* (funct. et dies; sensus mysticus; Episcopo concessum; ubi et quando utendum? traditio extra Urbem).

*S. Gregorius I. Ep. Vigilio Arelatensi.*

Pallium quoque transmisimus, quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola missarum solemnia utatur.

Die 12. Aug. 595.

(Bull. r. t. I. p. 165. n. 8. Ed. Aug. Taur. 1857.)

*S. Gregorius I. Ep. Fr. Augustino Anglorum Episcopo.*

Quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente et te laborante perducta est, usum tibi Pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus.

Die 22. Julii 601. (*Ibid.* p. 172.)

*Gregorius III. Ep.*

Pallium Anshario et success. conceditur.

Quia te, carissime fili Anshari, divina clementia nova in sede primum deposuit esse Archiepiscopum, nos quoque pallio tibi ad missarum solemnia celebranda tribuimus, quod tibi in diebus tuis uti et Ecclesiae tuae perpetuo statu manentibus privilegiis uti largimur. Idcirco hujus indumenti honor morum a te vivacitate servandus est; si ergo pastores ovium sole geluque pro gregis sui custodia, neque ex eis aut errando pereat aut ferinis lanianda morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspiciant, quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles, nos qui pastores animarum dicimur, attendamus.

Anno 834. (*Ibid.* p. 279.)

*Paschalis PP. II. Guidoni Viennensi Archiep.*

*Pallio ad missarum tantum solemnia* illis solummodo diebus uti fraternitas tua meminerit, qui tuis praedecessoribus Romanae auctoritate Ecclesiae concessi sunt: cujus te volumus per

omnia genium conservare. Hujus enim indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem et in aversis, si quando adveniunt, inveniatur cum justitia recta, amica bonis, perversis contraria; nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, misericordiae operibus juxta virtutem insistere cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis juste censuram non deserens. Haec est, frater charissime, pallii dignitas, quam si sollicito servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis. Fraternitatem tuam supernae miserationis dignatio per tempora longa conservet incolumem.

Scriptum per manum Petri notarii regionarii sacri palatii.

Anno 1099.

(Bull. r. t. II. p. 208. Ed. Aug. Taur. 1859.)

#### XI. Modus imponendi.

Si vero Episcopus pallio uti possit et eo die uti conveniat, affertur per aliquem Subdiaconum ex altari ambabus manibus, velo aliquo supposito, quod Diaconus capiens Episcopo offert osculandum in Cruce posteriori, et advertat, dum illud capit, ut partem duplicem pallii capiat dextra manu, simplicem vero sinistra, et dum illud imponit Subdiaconus manu dextra elevat partem, quae a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi aequaliter ambiat et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem Acolythum allatis videlicet pulchriorem eam-

que infigit Cruce anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in Cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit Cruce posteriori, quae omnia ita infigantur, ut tertio transeant per Crucem, non tamen pallium perforent, neque planetam tangant, et gemmae spinalis appositae remaneant ad dexteram infigentis. *Caer. Ep. l. II. c. VIII. n. 20.*

Quando pallium imponitur Episcopo, semper imponitur super planeta, ita ut pars duplex pallii ponatur super sinistrum humerum. *Ibid.* l. I. c. XVI. n. 5.

#### XII. Modus petendi.

Vd.: *Pallium* (Benedictio et traditio. — Caerem. Eccles. rom.)

XIII. Ante receptionem Pallii non licet Pontificalia exercere.

Archiepiscopo sine pallio a romano Pontifice directo consecrationem facere non licere.

*Joannes VIII. PP. in ep. ad Episcopos Galliae* die 28. Apr. 878.

(Bull. r. t. I. p. 350. Ed. Aug. Taurin. 1857.)

Archiepiscopus ante pallii receptionem non potest in sua Ecclesia Pontificalia exercere.

S. R. C. n. 705. die 7. Aug. 1627.

Vd.: *Pallium* (ubi et quando utendum?).

Quia Pontificalis officii plenitudo confertur per pallium, antequam obtineat quis pallium, licet sit consecratus, non sortitur nomen Patriarchae, Primatis aut Archiepiscopi et non licet ei Episcopos consecrare nec convocare Concilium nec Chrisma conficere neque Ecclesias dedicare nec Clericos ordinare, etiam si pallium in alia Ecclesia habuisset, cum oporteat petere novum pallium.

Potest tamen, quando vult, missam sine pallio et sandaliis celebrare.



## VII. Functiones et dies, in quibus utitur.

Vd.: *Pallium* (Episcopis concess.; *Passav. Ecclesia. Pallium* (ubi et quando utendum? Bened. et Traditio Romae — ex caerem. Eccl. rom.).

Quatuor Metropolitae Graeci ritus et s. Romanae Ecclesiae uniti sine Pallio de corpore s. Petri sumpto decessere, usi tantum Stola Pontificali Graeco ritu, quam *Homoforion* seu *Periforion* appellant, quam ipsi deinde Episcopis subjectis tradere consueverunt, bona fide putantes Pallium non esse necessarium vel fuisse dispensatum a Pontifice propter Schismaticos, ut facilius redirent ad unionem, quid de validitate Consecrationum, Ordinationum etc. tam defunctorum Metropolitanorum quam moderni?

S. C. resp.: „Ut Pallium de corpore b. Petri sumptum Metropolitae instantissime petenti concedatur tradendum et adhibendum juxta consuetum usum Ecclesiae Romanae, relicto Episcopis *Periforio* cum crucibus rubris ad distinguendum eos a simplicibus Presbyteris, cum absolutione antecessorum et moderni Metropolitae ob impensas sine Pallio Consecrationes et similia.“

N. 1390 die 31. Maii 1642; n. 1420 die 22. Novbr. 1642.

*Russiae Pallii Graecorum.*

Relatae fuerunt per Emum D. Card. Brancaccium literae Nuntii Apost. Poloniae cum informatione et voto ipsius super petitione in praecedenti C. sub 31. Maii 1640 facta circa traditionem Pallii pro Metropolita Ruthenorum, quae in substantia tria continent:

1. „Non expedire, ut mutetur antiquum Homoforium, ne querelis locus detur, quae pro alternationibus minoris ponderis, videlicet, quod Episcopi Graeci uniti habitum externum Episcoporum Latinorum assumerent, illic accidere.“

2. „Quod in unione sub Clemente VIII. nihil fuit circa Pallium innovatum et S. Inquisitio in abjurando Schismate nihil quoad Episcoporum consecrationem exigat.“

3. Expedire, ut Homoforia de corpore b. Petri, ut et Pallia Latina, desumantur, et Metropolitanis atque Archiepiscopis Graecis juxta formam benevisam mittantur.

Et S. C. scilicet Brancaccius, Roccius, Bragadinus et Sacchettus fuerunt in voto, „quod daretur Pallium Metropolitanae more Romano, et quod Pallium praedictum sit de materia lanea, de forma vero graeca ad instar Homoforii, quod quidem Homoforium relinquatur Episcopis in genere tamquam nudum ornamentum.“

Pamphilus vero et Palottus fuerunt in voto, „ut supersederetur nihil respondendo, sed interim consulatur unus Religiosus, qui scrutetur antea necessaria circa scandalum. *Omnes tamen convenerunt*, quod de rigore juris Pallium latinum de corpore b. Petri Metropolitanae petenti dandum in terminis cap.: Antiqua de privileg., retento ad instar simplicis ornamenti Pontificalis antiquo Homoforio, sed propter periculum magni scandali resolutionem esse differendam, quousque res quoad scandalum melius claruerit, ut supra.“

Ad 2. Quoad actus hactenus gestos sine Pallio esse quidem validos, quamvis peccaminosos respectu agentis; sed visum est cessare peccatum, attenda bona fide Metropolitanorum, quae in facto supponitur.

N. 1420 die 22. Nov. 1642.

*Urbanus PP. II. Heliae Archiepisc. Barenisi.*

Fraternitati tuae Pallii usum ex more concedimus, ut eo *inter missarum solemnias* dumtaxat festivitibus utaris, videlicet: Nativitate Domini, S. Stephani, Epiphania, Coena Domini, Re-

surrectione, Ascensione, Pentecoste, S. Joannis Baptistae, natalitiis Apostolorum et tribus festivitibus S. Mariae, festivitibus SS. Nicolai et Sabini, festivitate omnium Sanctorum, in annuo ordinationis tuae die, in ordine Episcoporum seu caeterorum Clericorum, in consecratione etiam Ecclesiarum, in translatione etiam dom. confessoris Nicolai.

Die 9. Oct. 1089.

(Bull. r. t. II. p. 126. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

*Joannes XIII. PP. Landulpho Archiep. Benevent. et Sipontinae.*

Usum Pallii tibi, praefate praesul, ad sola missarum solemnias peragenda concessimus, scilicet in his festivitibus, id est: in Nativitate Domini, Epiphania, Purificationis sanctae Dei Genitricis et Virginis Mariae, similiter et in Annuntiatione ejusdem b. Mariae, et in Paschali festivitate et in Ascensione Domini et Pentecoste et festivitate S. Joannis Baptistae et in natalitiis beatorum Apostolorum, et in Assumptione beatae Mariae pariterque in Nativitate ejusdem, simulque et in Dedicatione sanctae Ecclesiae tui Archiepiscopatus, necnon et in die consecratione Episcoporum, tribuentes tibi insuper cum eo potestatem et honorem Archiepiscopatus, ita ut fraternitas tua et successores tui infra suam dioecesim in locis, quibus olim fuerant, semper in perpetuum Episcopos consecret, qui vestrae subjaceant ditioni, scilicet SS. Agathae, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariae, Larini, Thelesiae, Aliphae. Adjecimus etiam ut utaris Pallio in festivitibus b. Michaelis Archangeli et translatione b. Bartholomaei Apostoli.

Posterius vero tuae Ecclesiae rectores post obitum tuum consecrationem ipsius Archiepiscopatus ac honorem Pal-

lii ab hac sancta et apostolica, cui Deo authore deservio, Sede percipiant.

Die 26. Maii 969.

(Bull. r. t. I. p. 422. Ed. Aug. Taur. 1857.)

*Urbanus PP. II. Berengario Ausanensi Episcopo in Tarraconensem Metropolim translato.*

Pallio in missarum solemnias intra Ecclesiam solummodo uti debetis, in praecipuis tantum festivitibus, videlicet: Nativitate Domini, Epiphania, Hypapante, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectionis prima et secunda feria, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festivitibus S. Mariae, sancti quoque Michaelis et s. Joannis Baptistae, in natalitiis omnium Apostolorum et eorum Martyrum, quorum pignora in vestra Ecclesia continentur, in commemoratione nihilominus omnium Sanctorum, in consecrationibus Ecclesiarum, Episcoporum, Clericorum, in annuo consecrationis tuae die, in solemnitatibus etiam sanctae Virginis Theclae sanctique Martyris Fructuosi ac sociorum ejus. Te igitur, Rme Frater, affectione intima exhortamus, quatenus dignum te tanti honoris Pontificii semper exhibeas: christianis ac Saracenis sine offensione esse procurans, ad fidem infideles quaerere, Deo largiente, verbis studeas et exemplis; sic exterius Pallii dignitate praecellas in oculis hominum, ut interius virtutum excellentia polleas coram supernae oculis majestatis.

Die 1. Julii 1091.

(Bull. r. t. II. p. 137. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

*Paschalis PP. II. Petro Acheruntino Archiepiscopo.*

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex



Apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quod te in Ecclesia tantum ad missarum solemnia subscriptis diebus noveris induendum, id est: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Hypapantes, in tribus solemnitatibus b. Mariae, Coena Domini, Sabbati Sancti, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, nativitatis s. Joannis Baptistae, festivitatis Apostolorum omnium, Michaelis Archangeli, commemorationis omnium Sanctorum et eorum Martyrum et Confessorum, qui in Acheruntina Ecclesia requiescunt, in consecratione Ecclesiarum, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, cujusmodi nimirum volumus te per omnia genium vindicare. Hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet, in prosperis humilem et in adversis (si quando eveniunt) cum justitia erectum: amicum bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem premas, misericordiae operibus juxta virtutem justitiae insistas et tamen insistere etiam supra virtutem cupias, infirmis compatiaris, benevolentibus congaudeas, aliena damna propria reposes, de alienis gaudiis tamquam de propriis exultes, in corrigendis vitiis pie saevias, in fovendis virtutibus auditorum animas demulceas, in ira judicium sine ira teneas, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deseras.

Haec est, frater charissime, Pallii accepti dignitas, quam si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderit, intus habebis.

Fraternitatem tuam superna miseratione per tempora multa incolumen conservare dignetur. Amen, amen.

Die 16. Junii 1106.

(Bull. r. t. II. p. 244. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

*Gelasius PP. II. Oldegario Episcopo Barchionensi.*

Pallii usum fraternitas tua *infra Ecclesiam tantum ad sacra missarum solemnia* se noverit obtinere, his videlicet diebus: Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in solemnitatibus beatae Genitricis Virginis Mariae, in natalitiis b. Joannis Baptistae atque Apostolorum omnium, in festivitate b. Theclae et b. Fructuosi Martyris, in consecrationibus Ecclesiarum et Episcoporum seu ordinationibus Clericorum et anniversarii tui die, cujus nimirum Pallii, volumus, te per omnia genium vindicare, hujus siquidem indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in proximis humilem: in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, nullius unquam faciem contra veritatem suscipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, aliena damna tua deputans, vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus animas auditorum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate severitatis justae censuram non deferens. Haec est, frater charissime, Pallii accepti dignitas; quam si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderit, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam per tempora longa conservet incolumem.

Die 21. Martii 1118.

(*Ibid.* p. 283.)

*Honorius PP. II. Rogerio Archiep. Pisano.*

Pallii usum, qui praedecessoribus tuis pro ipsius insulae praelatione a nostris antecessoribus est concessum, nos tam

tibi quam tuis successoribus confirmamus, his videlicet diebus, qui superscripti sunt, id est: Nativitate Domini, Epiphania, Hypopanton, Coena Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus beatae Genitricis et Virginis Mariae, natalitiis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum, commemoratione omnium Sanctorum, consecratione Basilicarum, Suffraganeorum Episcoporum et Clericorum, annuo natalitii tui die, in festivitate S. Sixti, in inventione et exaltatione S. Crucis, in anniversario dedicationis Pisanae Ecclesiae, in festivitate SS. Martyrum Stephani et Laurentii et Ephisi, cujus corpus in eadem Ecclesia requiescit, et in solemnitate beatae Agathae Virginis et Martyris; sane per Pisanam parochiam et insulam Corsicanam crucem ante te et tuos successores deferri concedimus.

Die 21. Julii 1126. (*Ibid.* p. 259.)

*Innocentius PP. II. Henrico Patriarchae Gradensi.*

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem pontificalis officii, ex apostolicae sedis liberalitate largimur, quo *intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda* uti memineris eis diebus, quibus praedecess. tuos usos fuisse non ambigimus, uti: in Nativitate Domini, Epiphania, tribus festivitibus S. Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecoste, in natalitio S. Joannis Baptistae et omnium Apostolorum, in festivitibus quoque S. Marci, Protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Maximi, in solemnitate omnium Sanctorum et principalibus Ecclesiae tuae festis, necnon in Ecclesiarum, Episcoporum et caeterorum Clericorum consecrationibus et anniversario consecrationis tuae die.

Die 12. Junii 1136.

(*Ibid.* t. II. p. 411.)

Decreta authentica. Tom. II.

*Anastasius PP. IV. Petro Beneventano Episcopo.*

Concedimus tibi pallii usum ex more *ad sacra missarum solemnia* peragenda, ut videlicet eo infrascriptis diebus *infra Ecclesiam tantummodo* utaris: in Natali Domini, Epiphania, Purificatione Sanctae et semper Virginis Mariae et in Annunciatione ejusdem, Coena Domini et Paschalibus festivitibus, Ascensione Domini, Pentecoste, in festivitate S. Joannis Bapt., in natalitiis Apostolorum Petri et Pauli, et Assumptione et Nativitate beatae semperque Virginis Matris Mariae, in dedicatione tui Archiepiscopatus et in anniversario tuae consecrationis die, in congregationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum et consecrationibus Ecclesiarum, praeterea in translatione corporis beati Bartholomaei, quod tua fraternitas in secretario debeat inducere et sic ad missarum solemnia proficisci.

Die 22. Septbr. 1153.

(*Ibid.* t. II. p. 599.)

*Adrianus PP. IV. Joanni Toletano Archiepiscopo.*

Pallio sane *in missarum solummodo* celebrationibus uti debebis, praecipue, quae subscriptae sunt festivitatum temporibus: tribus diebus videlicet in Natali Domini, in Epiphania, Hypopanton, Coena Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus in Pascha, in Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus S. Mariae, S. Michaelis et S. Joannis Bapt., in omnibus natalitiis Apostolorum et eorum Martyrum quoque, Martini et Ildelfonsi Confessorum; et omnium commemoratione Sanctorum, in consecrationibus Ecclesiarum, Episcoporum et Clericorum, in annuo consecrationis tuae die, natali etiam SS. Isidori et Leandri.

Die 17. Febr. 1156. (*Ibid.* p. 630.)

39